Viro Clarissimo Doctissimoque
Io. Dan. Overbeckio
I. M. Gesnerus S. P. D.

Video me festinare, Vir Humanissime, in ipsa statim praescriptione. Scilicet hoc solum modo agere volui, ut longum tibi silentium meum excusem, illa potissimum ratione usus, quae argumentum princeps literarum tuarum est. Conquereris de mole parvorum negotiorum, curarum similium, quae pene fructum tibi studiorum superiorum intercipiant. Simili pene fato sum, si hoc forte aliquam ad te consolandum vim habere possit, ego quoque adhuc conflictatus: quanquam non usus hic sum verbo idoneo; non conflictatus sum cum hoc fato, cum hac constitutione divinae providentiae, sed lentus item sum, ita usus sum.* Quod tu petis ab homine non omnino rudi, nec imparato ab literis omnibus, potuisse excudi opuscula ingeniosiora certe et aetaten ~~magis~~ minus vehementia, si quo tempore XII annis secundanis et deterioribus quam si plerumque: Primanis operam dedi Vimariae, quo tempore scripta tricena interdum et plura unius argumenti, eorundem vitiorum — emendavi, quo tempore hic Fabrum recensui, et nunc

*Sen. Epist. 120 Quidquid inciderit, non tanquam malum aspernatus est, sed tanquam in se casu delatum, sed quasi delegatum sibi. Hoc qualecunque, inquit, meum est. Asperum est, durum est: in eo navemus operam.

129v

Aeschinianum opus pene totum examinavi, auxi, emendavi,
Eo quo tempore nugas vel agere vel pati coactus sum, potuissem
ea facultate uti, quam dabant ingenium qualecunque, diligen-
tia V annorum Academicorum non defunctoria, usus Biblio-
thecarum instructissimarum e.i.g.a. Si vero inter haec ta-
men non nihil profecisse putatis amici, et putarunt patroni
quidam: quid est quod non de te quoque, Vir Cl.me, speremus,
in quo si non superiorem omnia, ne adulatorem me putes, certe
paria meis rebus, videre mihi videor? Pateris hoc etiam ad
a me addici, quod ego amicis ad officia paulo humiliora (: quam
quam ego nihil humile puto in quo formatio regis omnium rerum
praestantissima, animus humanus:) se accingentibus commendare soleo:
nullam esse certiorem viam ad maiora et altiora grassandi,
quam si in quocunque gradu constitutus, in eo rem illius gra-
dus quam praeclare possunt, gerant. — Sed tibi, Vir Clariss-
ime monstrare non opus est. Ignosces autem domini amore
tui longius forte quam decebat provecto. Ego hoc volebam:
Si paterentur labores mei, nihil mihi dulcius esset, quam

130
GH

suavissime et familiarissime per literas tecum vel σπουδάζειν vel garrire de liberis nostris. Huic voluptati cum intercedant labores haud paullo minus iucundi, superest, ut certe interdum quasi furtim ea fruar. Denique illud tibi persuadeas, rogo, me in solidae felicitatis parte hoc solere reponere, si virorum tui similium occasio et facultas ornandorum mihi divinitus subministretur. Bene vale. a. d. a Febr. 1847 Gottingae